



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

XII. De Aliis Hæreticis Et Sectariis, Qvi Avgvstanam Confessionem
nunquam sunt amplexi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

XII.

DE ALIIS HAERETICIS
ET SECTARIIS, QUI AVGV-
STANAM Confessionem nunquam
sunt amplexi.

RREPSERVNT etiam hinc inde alij
quidam Haeretici & Sectarij, qui Augu-
stanam Confessionem non amplectun-
tur aut profitentur: quorum in hac de-
claratione nominatim nullam mentio-
nem fecimus, Vt sunt, Anabaptista,
Svvenckfeldiani, noui Ariani, & Antitrinitarij. Horum
errores vnanimi consensu ab omnibus Ecclesijs Augu-
stanam Confessionem profitentibus, damnati sunt.
Noluimus autem de illis erroribus in hoc scripto, nisi
incidenter, agere, propterea quod hoc tempore scopu
illum praefixum habuerimus, vt potissimum aduersa-
riorum Pontificiorum calumnias refutaremus.

Illi enim sine fronte in toto Christiano orbe Eccle-
sias nostras, earumq; sinceros doctores haecenus tra-
duxerunt, atq; iactarunt: non reperiri duos saltem Eu-
angelicos concionatores, qui de omnibus & singulis
articulis Augustanae Confessionis, consentiant: sed
tantas inter eos omnes esse dissensiones, vt ne quidem
amplius norint, quae sit vera Augustana Confessio, &
ipsius genuina & germana sententia. Non igitur nudis
& paucis verbis, aut nominum nostrorum subscriptio-
nibus tantummodo de nostro consensu testari volui-
mus: sed de omnibus articulis, de quibus ab Augusta-
nae Confessionis Theologis disceptatum fuit, perspi-
cuam, disertam, sinceram declarationem conscribere
voluimus. Idq; eo consilio fecimus, vt omnes intelli-

gant

gant, nos illas controuersias & falsas opiniones, neq; maliciosè dissimulare neq; occultare voluisse. Et deprehendent boni & intelligentes viri, non hoc nos egiisse, vt fucata & simulata concordiam faceremus, nec vt malis istis medicinam aliquam superficialiam, sed vt remedia solida & vera adhiberemus. Itaq; sententiam nostram liquidissimè proposuimus, vt aduersarios etiam nostros fateri oporteat, quòd in tota hac controuersiarum tractatione & explicatione, veram, simplicem, sinceram, genuinam atque propriissimam Augustanæ Confessionis sententiam retinere voluerimus. Et sanè in ea pia sententia per gratiam Dei, constanter ad vltimum vsq; spiritum perseverare cupimus. Et quantum quidem proficisci à cura nostra, rationibusq; ministerij nostri potest, non conuiuemus, aut silentio nostro commitemus, vt aliquid, quòd cum genuina & pia Augustanæ Confessionis sententia pugnet, in Ecclesias aut Scholas nostras inuehatur: in quibus nos Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, doctores & pastores esse voluit.

Ne quis autem tacitis nos cogitationibus accuset, quasi errores damnatos, earum hæresium & sectarum (quarum supra paucis mentionem fecimus) vlla ex parte approbemus: facere non potuimus, quin publicè coram tota Ecclesia in hoc scripto protestaremur, nos illis erroribus omnibus, qualescunq; & quotocunq; tandem illi sint) nulla ex parte subscribere, aut eos approbare: sed potius penitus rejicere atque damnare, propterea quòd eos impios & fanaticos esse, & cum Prophetica & Apostolica doctrina, atque cum pia nostra Augustana Confessione in verbo DEI probè fundata, pugnare iudicemus. Atque illi sanè errores maximè in ijs locis, & tum temporis potissimùm irreperunt (vt est ingenium fanaticorum spirituum) vbi sincero Christi Euangelio locus non erat: &

vnde